

261.6 (649):113 (04)

10



# THESES

PHYSICO--EXPERIMENTALES.

1843 (1844) 2.102

U.S.A.

# THESES

PHYSICO-EXPERIMENTALES

ORNATISSIMO VIRO

D. D. EMMANUELI BERDUGO, ET ALVITURRIA  
Dioeceseos. Canariensis Provisori, Vicarioque Generali,  
Et ejusdem Ecclesiae Cathedralis Archidiacono Titulari

D. JACOBUS BERDUGO

IPSIUS NEPOS OBSEQUENTISSIMUS

*De Re Physica quaestiones*

*In publica certamine propugnandas*

O. D. C.

**O**Mne meum tempus, studia, atque elucubrati-  
ones in Tui obsequium, VIR. ORNATISSIME, impen-  
dere jam pridem in votis habeo: idque non volentis  
tantum, sed grati animi significationem esse, ac ve-  
luti vectigal jure quodammodo Tibi debitum libentis-  
simè agnosco. Huic ergo pietatis officio nunc pri-  
mùm, data occasione, facere satis incipiens, de Re  
Physica quaestiones, quas palàm sum propugnaturus,

ante

4  
ante genua tua provolutus offero, easque ut et reve-  
rentiae, et amoris pignus in praetio habeas in pri-  
mis opto, atque confido. Non enim donum, sed offe-  
rentis affectum te nunc praecipuè decet contemplari.  
Ad hoc, si in litterarum curriculo me multum profi-  
cere optas, ut pluribus ostendisti, nullo alio incitamento  
me magis hortere, quam studiorum meorum primi-  
tias solita benevolentia complectendo. Quas equidem,  
ubi tibi gratas cognoverim, ea animi contentione scien-  
tiarum studio incumbere mihi propono, ut et optatam  
metam contingere valeam, et quamplurimas tibi ead-  
em via placendi occasiones inveniam. Vale.

# DE AERE

## THESES

### I.

**T**errarum orbem undique circumfundere Aerem, corpus nempe Fluidum, Invisibile, Pellucidum, Grave, Expansibile, Condensabile, Elasticum, Sonorum, vel ipsis, qui primis labris Physicam degustaverunt, notum est.

### II.

Deindè fluidum istud unà cum corpusculis in eo nantibus vaporibus, exhalationibus, volatilibus, subtilisque plurimis è tellure continuò ascendentibus terrestrem Atmosphaeram constituere, eis similiter perspicuum.

### III.

Has tamen aëris proprietates, quas memini, ita ei essentielles existimo, ut ab immixtis cum eo corpusculis

culis, minime repetendae credantur; tametsi hujusmodi corpuscula nonnumquam impedimento sint quominus eae tota vi sua se exerant.

## IV.

Sed jam tandem praeter atmosphaericum istum aërem novus alius, aliarumque proprietatum dudum detectus à Recentioribus, est, quem quoniam irretitum cum substantiis, ac veluti imbibitum reperierunt *Aërē*

*Principium* vocare, sive *Aërem fixum* maluere.

## V.

Hujuscemodi fluidum *Aërisforme* ex conformatione cum Aëre sic vocatum, ita plurimum ab atmosphaerico dissidet, ut non analogum, sed disparem esse credideris.

## VI.

*Aër enim fixus* plurima revera atmosphaerico habet contraria. Ipse primum animali non parum oeco-

nomiae nocet, siquidem mephiticus est; athmosphae-  
 rico aëre ponderosius gravitat, ut experimentis inno-  
 tescit, tum flammam accensam extinguit, quod non effi-  
 cit aër dephlogisticatus; vegetationem quoque plan-  
 tarum praepedit, florumque colores laetos marcescit,  
 quod, inter alia, ipsius tribuere acido nullum inconve-  
 niens est.

## VII.

Forsan ab eodem acido antiputridus esse, et lit-  
 hontripticus, ut observationibus patuit, credibile pror-  
 sus videtur. Hinc *Aërem fixum* Medici ad ulcera vel  
 periculosiora curanda, ad sanguinis corruptionem impe-  
 diendam, ad tabidos, et canceratos morbos sanandos,  
 tum ad lapillos in vexica concretos diluendos magno,  
 faustoque successu adhibuerunt.

## VIII.

Tanto cum aestu nostri saeculi Physici hoc recens  
 aeris

8  
aëris principii inventum elucidandum suscepere, ut  
novas deinceps aëris species, <sup>novas</sup> proinde eorum qualitates  
cum magno rei Phisicae emolumento detexerint. Aër  
equidem Nitrosus, Inflammabilis, Dephlogisticatus,  
Acidus, Alkalinus, aliique plurimi mirandum diver-  
sorum aërum theatrum in recenti Physica representant.

**Q**uibus defendendis D. Jacobus Berdugo et Da-Pelo  
aderit sub auspiciis D. D. Francisci Martinez de  
Fuentes Phylosophiae Cathedrae Moderatoris in Semi-  
nario Conciliari Purissimae Conceptionis Civitatis Ca-  
nariensis die 22 Mensis *Julij* anni 1791.

**HORIS SOLITIS.**

---

Nacto Permissu: Lacunae Nivariensis: apud Michaë-  
lem Angelum Bazzanti, Regalis Societatis  
Typographum.